

diantē gula, etiam per solum panem Christum a se, quantumvis ipsiusmet Dei Filius esset, seducendum sperabat. S. CHRYS. ser. 3. Panem malus ingerit, ut virtulem mutet, inquit Auctor Operis Imperfecti. Cum enim eum, propter continuum quadraginta dierum jejanium, Filium Dei suspicaretur, animo despondit, inquit hic auctor; ast vero, ubi se famelicum exhibuit, quando postea esuriit, tunc tandem a se pervertendum fore speravit, probe sciens homines, etiam perfectissimos, gula implicari laqueis; tunc omnia ejus proposita facile se annihilaturum confidit. Diabolus videns per quadraginta dies jejunantem, inquit dictus Auctor, desperaverat; postquam sensit esurientem, iterum cepit sperare, et sic accessit ad eum esurientem. AUCTOR OPERIS IMPERFECTI, *Hon.* v.

Bellovacensis Brachmanes ad Alexandrum Magnum ita scripsisse refert: Mensas nostras deliciis non implemus, et ideo nobis nec nocent, nec infirmitatem generant; apud nos enim illicita est ventris extensio, proinde sumus sine aliqua aegritudine, et diu vivimus, et in quantum vivimus, sani sumus, medicinas nullas facimus, quia naturam nostram nullis superfluitatibus gravamus. BELLOYAC. *Spec. mor.* l. III, p. VIII, dist. I.

S. Chryostomus absumm in gula committit, sequentibus verbis patheticè describit: Illud multo intolerabilius est, quod morbus tot malis redundans, totque secum invelens calamitates, ne crimen quidem censetur, sed in divitum mensis, hujus turpitudinis gratia, pugna oritur atque certamen, atque inter se majori studio contendunt, qui se ipsum magis infamet, quàm majorem subsannandi occasionem præbeat, quis nervos amplius infringat, quis vires amplius debilitet, quis communem Dominum gravius irriter, ac videre est studium certamenque diabolicum. S. CHRYS., ser. xxxv de Resur.

Evolvalis universum S. Matthæi textum, et invenietis, quod in variis occasionibus Christus de inferno loquens, non semel, sed octies illius tormenta ad hæc duo, scilicet ad fletum et stridorem dentium restrinxerit. Scitisne hujus rei causam? Nimirum duo peccata inter reliqua in mundo triumphant, quibus dictus accenditur focus, scilicet illa, quæ suam originem ab oculis minus bene custoditis trahunt; ideoque fletus et inconsolabilis planctus illis correspondit. Aliud genus ad gulam spectat, quæ

ad dentes relationem habet; ideoque ibi erit stridor dentium, quia per quæ quis peccat, per hæc et torquetur. Ecce conceptum hunc vobis claris Hugonis Cardinalis expressum verbis, dicentis: Flebunt oculi, quia in vanis fuerunt vagi; stridEBunt dentes, quia edaces fuerunt. Per hæc duo notantur duo genera culparum, pro quibus puniuntur; scilicet concupiscentia oculorum, id est, avaritia, quæ per fletum; et gulositas, quæ per stridorem dentium, designatur. Merito itaque D. Antonius vitium hoc gulæ sequentibus detestatur verbis: Quam spem habere possunt de Deo et beatitudine, quorum deus venter est, ut dicit Apostolus, et gloria in confusione ipsorum, qui terrena sapiunt. MANSI, disc. III, n. 4.

MISCELLANEA.

QUALITAS. — Recte quidam dixit: Venter quidem possit, et appellat, sed tamen modestus creditor non est, si illi das, quod debes, non quod potes. FAB. conc. II in Dom. 6 post Pent.

S. Bernardus de gula deditis dixit, eos aliud non facere, quam ingerere, digerere, et egerere. *Ibid.* conc. II, n. 2.

Dionysius Tyrannus, cum in Phiditiis, Lacedæmoniorum (publicis et frugalibus conviviis) comasset, negavit se jusculo nigro quod cœna caput erat, delectari; tum is, qui cœnam coxerat: Minime, inquit, hoc mirum est, nam condimenta defuerunt, nimirum labor in venatu, sudor, cursus, fames, sitis, etc. his enim condimentis Lacedæmoniorum epulæ condiuntur. CICERO, v., *Tuscul.*

DANNUM. — Quidquid avium volitat, quidquid piscium natat, quidquid ferarum discurret, nostris sepelitur ventribus; quære nunc, cur subito moriamur? Quia mortibus vivimus. SENECA, X *Rhet.*

Abbas Moyses dixit: Per hæc quatuor res passio gignitur, per abundantiam esecæ et potus, per satietatem somni, per otium, et per ornatum vestium. *Vita PP.* l. II, c. II.

Tam insalubre, quam turpe est, plus cibi ingerere, quam capiat, et stomachi sui non nosse mensuram. SENECA, ep. LXXXIII.

Recte cecinit nonnemo:

Sint ignota licet magni patrimonia Cœsi,
Immensæ absumunt alta barathra gulæ.

FAUSTUS.

Ex magna cœna stomacho fit maxima pena. *Schola Salern.*

Ut sis nocte levis, sit tibi cœna brevis.
Pone gulæ melas, ut sit tibi longior ætas.
Esse cupis sanus? Sit tibi parca manus.
Plenus venter non studet libenter.
Qui multum vult comedere, comedat parum. TYMPBUS, in *quest. Synops. V. cibus.*
Multa tibi multos coæservant fercula morbos. *Florileg.* p. 1.

Ferre solent paucas fercula pauca cruces. *Ibid.*

Natura paucis contenta est. *Ibid.*
Anima saturata calcabit favum: et anima esuriens amarum pro dulci sumet. *PROV. XXVII, 6.*

Væ tibi terra, cujus Princeps mane comedunt. Qui mane comedit, vesperi dolet. *ECCLES. X, 16.*

AUCTORES.

Joannes Buseus, in *Panario*, V. eodem.
Jacobus Alvaretus, tom. II, l. I, p. c. III et IV.

Jacobus Canisius, tom. IV de *Vit. Cap.* § VII.
Bernardinus Rosignolius, lib. III de *Disc. Reliq.* cap. X et XI.

Ludovicus Granatensis, in *Duce peccatorum*, l. II, c. VIII.

Hieremias Drexelius, in *Nieta*, l. I, c. IV; item passim in *Aloe*.

Jacobus Marchantius, in *Horta Past. Tubæ Sacer.* tr. v.

Joannes Cassianus, l. V. de *Instituti Remunit.*

Philippus d'Outreman, in *Pædagogico Christiano*, p. I, c. VII, § 6.

Nicolaus Lancizius, *Opusc.* II, c. II.

Mathias Faber, conc. I et II in *Dom.* 6 post Pent.

Thomas Stapletonus, text. III in *Dom.* *Segog.*

Josephus Mansi, in *Bibl. morali*, tr. XXXI.

HERESIS.

QUOAD ESSENTIAM.

DEFINITIO. — Est voluntarius et pertinax error in materia Catholice fidei contraria a Christiano commissus. Per hanc quippe definitionem facile Judaismus, Paganismus, et Mahometismus rejiciuntur. Dieta est a Græco verbo *aitos*, quod electionem significat, eo quod quisque voluntarie ejusmodi falsam doctrinam contra dictamen rectæ rationis, stimulum conscientiæ, et Ecclesiæ dogmata eligit, et assumat. SCAR. SANCHE, et alii.

Describitur apte in Apocalypsi sequentibus verbis: Meretrix sedens super aquas, ornatu regio, plena nominibus blasphemie, super bestiam coccineam, habens pœculum aureum in manu, sed plenum veneno, abominatione, immunditia, invilians potentes et populos ad bibendum. *APOC. XVII, 15.*

DIVISIO. — Dividitur in *Formalem*, quæ est culpabilis hæreticæ doctrinæ; et *Materialem*, quæ inculpabiliter hæresi adheret.

ACTUS. — Primus est de aliquo fidei articulo dubitare; cum tamen quisvix illi omnem dubitationis exclusionem mereatur.

Secundus, Hæreticorum libros curiose evolvere, sequæ adeo in periculum errandi cum illis præcipitare.

Tertius, Hæreticorum colloquia, conciones et disputationes animo discendi ipsorum errores, eisquæ adhaerendi, frequentare.

Quartus, errori hæretico pertinaciter assentiri.

Quintus, eundem etiam aliis persuadere velle.

Sextus, Catholica dogmata velut erronea impugnare.

Septimus, pro defensione suæ heresis varias adversitates pati, mortemque ipsam optetere.

GRADUS. — Per quos, juxta Jacobum Marchantium, Hæretici in abyssum et perditionem descendant, isti enumerantur.

Curiositas legendi libros hæreticos.

Præsumptio judicandi de omnibus.

Pertinacia rebellis in sustinendo propriam opinionem.

Contemptus omnium, quicis contradieunt. Cæcitas cum superbia conjuncta.

Dei derelictio et quasi abnegatio per quemdam Atheismum.

Abyssus peccati, dum de peccato in peccatum ruit Hæreticus.

Desperatio juncta cum conscientia tortura. Mors miserabilis.

Æterna damnatio. JACOBUS MARCH. *in Hort. Past.* tract. 1, prop. 2.

EX S. SCRIPTURA.

QUALITAS. — Hoc autem scito, quod in novissimis diebus instabunt tempora periculosa, et erunt homines seipso amantes, cupidi, elati, superbi, blasphemii, parentibus non obedientes, ingrati, scelesti, sine affectione, sine pace, criminatores, incontinentes, immites, sine benignitate, proditores, protervi, tumidi, et voluptatum amatores magis, quam Dei, habentes speciem pietatis, virtutem autem ejus abnegantes. II TIM. III, 1 et seq.

Hujusmodi Christo Domino nostro non serviunt, sed suo ventri, et per dulces sermones et benedictiones seducunt corda innocentium. ROM. XIII, 18.

Ex his sunt, qui penetrant domos, et captivas ducunt mulierculas oneratas peccatis, que ducuntur variis desideriis. II TIM. III, 9.

Ipsi de mundo sunt, ideo de mundo loquuntur, et mundus eos audit. I JOAN. IV, 5.

Semper discentes, et nunquam ad scientiam veritatis pervenientes. II TIM. III, 7.

Si quis aliter docet, et non acquiescit sanis sermonibus Domini nostri Jesu Christi, et ei, que secundum pietatem est, doctrina, superbus est, nihil sciens, sed languens, circa quaestiones et pugnas verborum, ex quibus oriuntur invidia, contentiones, blasphemie, suspiciones male, conflictationes hominum mente corruptorum, et qui veritate privati sunt, existimantium quæstum esse pietatem. I TIM. VI, 3.

Ejusmodi Pseudo-Apostoli sunt operarii subdoli, transfigurantes se in Apostolos Christi; et non est mirum, ipse enim Satanas transfiguratur se in Angelum lucis; non est ergo magnus, si ministri ejus transfigurentur velut ministri Justitie, quorum finis erit secundum opera ipsorum. II COR. XI.

Ex nobis prodierunt, sed non erant ex nobis; nam si fuissent ex nobis, permansissent utique nobiscum; sed ut manifesti sint, quoniam et non sunt ex nobis. I JOAN. II, 19.

FUGA. — Hæreticum hominem post unam, et secundam correctionem devota, sciens, quia subversus est, qui ejusmodi est, et de-

linquit, cum sit proprio judicio condemnatus. AD TIT. III, 10.

Attendite a falsis Prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces. MATH. VII, 15.

Si quis venit ad vos, et hanc doctrinam non affert, nolite recipere in domum, nec ave ei dixeritis; qui enim dixit illi ave, communicat operibus ejus malignis. II COR. X.

Charissimi, nolite omni spiritui credere, sed probate Spiritus, si ex Deo sint, quoniam multi Pseudo-Prophetae exierunt in mundum. I JOAN. III, 1.

Videte canes, videte majos operarios. PHILIPP. III, 1.

Si surrexerit in medio tui Propheta, et dixerit tibi: Eamus et sequamur deos alienos, quos ignoras, et serviamus eis, audies verba Prophetae illius. DEUT. XVII, 2.

DAMNUM. — Sermo eorum ut caner (seu gangræna) serpit. II TIM. II, 17.

Impossibile est, eos, qui semel illuminati sunt, gustaverunt etiam donum celeste, et participes facti sunt Spiritus Sancti (gustaverunt nihilominus bonum Dei verbum, virtutesque sæculi venturi), et prolapsi sunt, rursus renovari ad penitentiam, rursus crucifigentes sibi metipsos Filium Dei, et ostentui habentes. HEBR. VI, 4. Væ illis, qui in via Cain abierunt. JUDE VII, 11.

Primus autem Hæreticus Cain erat, ut qui providentiam Dei negavit, juxta Chaldeam translationem, apud Marehanthum, tract. 1, *Hort. Past.* lect. VII.

EX SS. PATRIBUS.

QUALITAS. — Per verba legis legem impugnant, et fidem sine fide proclamant. S. AMBR. *in comment. ad Tit.* III.

Persecutor paganus aperte sœvit ut leo, Hæreticus insidiatur ut Draco. Ille cogit negare Christum, iste docet. Ille ingerit violentias, iste insidias. Adversus illum opus est patientia, adversus hunc opus est vigilantia. S. AUG. *Enarrat. in Ps.* XXXIX.

Olim prædictum est, et nunc tempus adimpletionis adventi: Ecce in pace amaritudo mea amarissima. Amara prius in nece Martyrum, amarior post in conflictu Hæreticorum, amarissima nunc in moribus domesticorum. Intestina et insanabilis est plaga Ec-

clesia, et ideo in pace amaritudo ejus amarissima. S. BERN. s. XXXIII *in Cant.*

Qui sunt lupi rapaces, nisi Hæretici feri et rabidi, qui culas Ecclesiae semper infestant, et gregem Christi, quaqua possunt, dilacerant? VINCENT. LIRIN. *in c. xx Act.*

Quisquis est assertor novorum dogmatum, quæso te, ut parcas Romanis aatribus, parcas fidei, quæ Apostolico ore laudata est. Cur post annos quadringentos docere nos niteris, quod antea nescivimus? Cur profers in medium, quod Petrus et Paulus edere noluerunt? S. HIER. *ad Panoc.*

Versatur in vestra terra sub vestimentis ovium lupus rapax, sed ad Domini designationem a fructibus ejus cognoscemus eum: Basilicæ sine plebibus, plebes sine Sacerdote, Sacerdotes sine reverentia sunt, et sine Christo deinde Christiani; Ecclesiae Synagoga reputantur, Sanctuarium Dei sanctum esse negatur, Sacramenta non sacra censentur, dies festi festivi frustrantur solemnibus, moriuntur homines in peccatis suis, rapiuntur animæ passim ad tribunal terrificum, heu! nec penitentia reconciliata, nec S. Communionem munite! S. BERN. ep. cxxl.

Hæretici instar perditionis congregant, quæ non pepererunt. Christianos enim, quos maxime Christi nomine seducunt, jam per ipsius Christi Evangelium natos inveniunt, et faciunt illos divitias suas non sane cum iudicio, sed cum temeritate inconsiderata. S. AUG. I. III *contra Faustum* c. XII.

Ut fallacius incautis ovibus obrepant, lupinam deponunt speciem, et sese divinae legis sententiis velut quibusdam velleribus obvolvunt, ut, cum quisque lanarum molliem præsererit, nequaquam auleos dentium pertimescat. S. AUG. I. III *contr. Faust.* c. XII.

Quicumque aliter Scripturam intelligit quam sensus Spiritus Sancti efflagitat, et quo scripta est, licet ab Ecclesia non recesserit, tamen Hæreticus potest appellari. S. HIER. *in c. XIX Esa.*

Hæreticus est, qui pro alienis commodi temporales et maxime gloriae principatusque sui gratia falsas ac novas opiniones gignit, vel sequitur. S. AUG. *de Defuit.*

Qui in Ecclesia Christi morbidum aliquid pravumque quid sapiunt; si correcti ut sanum rectumque sapiant, resistunt contumaciter suaque pestifera et mortifera dogmata emendare nolunt sed defendere persistunt, Hæretici sunt. Idem, *contra Manich.* XXIV, q. III.

TOMUS II.

FUGA. — Contradictum lingue multæ; diverse hæreses, diversa schismata personant, lingue multæ contradicunt veraci doctrina. Tu curre ad tabernaculum Dei, Ecclesiam Catholicam tene, a regula veritatis noli discedere, protegeris in tabernaculo a contradictione linguarum. S. AUG. *in Ps.* XXX.

Nulla eum talibus commerciis, nulla colloquia, nulla convivia misceantur, simusque ab eis tam separati, quam illi sunt ab Ecclesia profugi. S. CYPR. I. I, ep. III.

Quomodo potueramus nos, cum simus servi Dei, vos vero servi Diaboli, in unum convenire? Quando sic inter nos, et vos separatum esse voluit Deus? Quomodo inter lumen et tenebras, inter vitam et mortem, inter dulce et amarum? Quomodo inter sanctos Angelos Dei, qui sunt semper elementiam ejus magnificantes, et inter illos Apostatas, quos in æternum tecum visurus eris torqueri, nisi temet eripueris ab eis? LUCIFER, Ep. Calaritanus, *ad Constant. Imp.*

DAMNUM. — Quamvis sint in Hæreticorum scriptis quedam, quæ videantur eruditionis et pietatis speciem habere, nunquam tamen vacua sunt venenis. S. EPO ep. CIII, c. XV.

Miscet recta perveris, ut ostendendo bona, auditores ad se pertrahant; et exhibendo mala, latenti peste corruptant. S. GREG. I. V *Mor.* c. XI.

Is scopus communis est omnibus Hæreticis ut solidum fidei in Christum labefactent, Apostolicam traditionem solo æquatam abolendo. BASILIUS MAGNUS, *de Spirit. Sancto.*

Hoc Hæreticus perpetuo studio agitur ne ex divinis Scripturis simpliciorum animi rite doceantur, sed ut per extraneam Philosophiam veritas refellatur. Idem, *ep. cxxi.*

EXEMPLA CATHOLICA.

FUGA. — Vir B. ergo aliquando cum S. Joan. Baptista et S. Joanne Evangelista Abbati Cyriaco apparens noluit, licet multum ab eo rogata, cellam illius intrare, eo quod duos Nestorii libros licet ignorans in cubiculo haberet. SOPHON. *in Prato Spirit.* c. XLVII.

Apostoli, et horum discipuli, teste B. Irenæo, tantum habuerunt timorem, ut neque verbotenus communicarent alicui eorum, qui adulteraverunt veritatem. S. IRENEUS I. III, c. III.

S. Joannes Apostolus volens lavari, cum

in balneo Cerinthum vidisset, non lotus exivit, timens ne balneum concideret. *Ibid.*

S. Polycarpus Marconi aliquando occurrens dicenti sibi: Cognosce nos? respondit: Cognosco te primogenitum Satane. *Ibid.*

S. Antonius Manichæos aliosque Hæreticos adeo aversabatur, ut omnibus diceret, ne juxta quidem eos esse accedendum. Unde et moriturus suis dicebat: Hæreticorum et Schismaticorum venena vitate, memumque circa eos odium sectamini. Scitis ipsi, quod nullus mihi nec pacificus quidem sermo cum eis unquam fuerit. S. ATHAN. *in Vita.*

S. Hilarius de Auxentio scripsit: Mihi non erit aliud quam Diabolus, quia Arius est. S. HILAR. *contra Aux.*

S. Hieronymus de seipso fatebatur, quod nunquam Hæreticis poperere, et omni egerit studio, ut hostes Ecclesie sui quoque hostes fierent. S. HIER. l. *contra Pelag.*

Abbas Agathon, cum omnia de se alia vitia spargi equo animo pateretur, uti autem audivit, quod etiam Hæreticus vocaretur, graviter indignabatur, causamque rogatus respondit: Crimina alia infirmitatis sunt, et hominem adhuc Deo per fidem unitum relinquunt; heresis vero est pertinacia nota et malitia, quæ omni modo nos a Deo divellit, tollens fidem, Deo nos primo quasi vinculo unientem et ligantem. EVAGRIUS, *in Vit. PP.* l. III, § 20.

Abbas Cosmas, cum juxta sepulchrum Episcopi hæretici sepultus fuisset, pluribus noctibus clamare auditus est: Noli me tangere, Hæretice, noli mihi appropinquare, inimice Ecclesie sanctæ Dei. SOPHON. *in Prato Spir.* c. XL.

Franciscus I, Galliarum Rex, dicere solebat ad suos: Si ego membrum aliquod meum hæresi infectum scirem, non illud tantum vobis absceindendum darem, sed si quem ex liberis etiam meis eadem nota correptum adverterem, cum ipse manu mea consecrare non dubitarem. FLORIM. REMOND. l. VII, c. v.

Ladislavus, Ungariæ ac Bohemiæ Rex, cum ei in Pragense urbis introitu Magister Rokiezannus Hussitarum antesignanus, Archiepiscopatum Pragensem ambiens, cum suis officii gratia in conspectum prodiret, Regemque salutaret, eum valde frigide resalutavit. At occurrente postea ex arce Pragensi Sacerdotum coetu cum sanctis reliquiis, ipsos Sacerdotes hilari ore affatus est, reliquias vero etiam veneratus et osculatus. DEBRAND. *lib. XXIX.*

Sanctus Eusebius, Vercellensis Antistes, durissima quæque ab Imperatore Constantio Hæretico pertulit, tandemque exilio mulctatus est. Is statuit apud se fame potius perire, quam ab Ariano Episcopo cibum accipere, qui hac occasione cupiebat in vulgus spargere, sanctissimum illum ac Catholicum Episcopum ejus fidei consensisse, ut hoc mendacio multos in fraudem erroremque impelleret. BARON. t. III *Ann.* 356.

Cum vir Dei Paphnutius ex Ægypti partibus Episcopus, Maximus Hierosolymitanum Episcopum, simplicitate quadam animi ignarum quid ageret, inter hæreticos versari et considerare vidisset, ad eum accessit, et manu apprehensum his verbis admonuit: Non patiar Episcopum adeo venerandum in cathedra pestilentia sedere, et cum impuris Hæreticis ne verbo quidem communicare. S. THOM. *lib. II, Hist. Eccl.* xxv.

Marcellus, Ancyræ Episcopus, gravissima quæque ab eisdem Arianis perpressus est, quod neque eorum decretis consentiret, neque de Ario in Ecclesiam admittendo concederet, neque consecrationi templi Jerosolymici a Constantino sumptuose edificati interesse vellet, ne hac occasione cum eis communicasse videretur. *Id. Hist. Eccl.* lib. II, c. XXXII.

S. Antonius Eremita, Manichæis, aut aliis Hæreticis nunquam saltem amabilia verba largitus est, denuntians talium amicitiam atque sermones perditionem esse animarum. Sic etiam detestabatur Arianos, ut omnibus diceret, ne quidem juxta eos esse accedendum. Et ipse Antonius jam moriturus: Hæreticorum, inquit, et Schismaticorum verba vitate, memumque circa eos odium sectamini. Scitis ipsi, quod nullus mihi pacificus sermo cum eis unquam fuerit. D. ATHANAS. *in Vit. ejus.*

Quod non solum vivi, sed mortui quoque catholici hæreticorum consortium fugiant simili exemplo constat. Narravit nobis Abbas Basilus, presbyter Bieatorum, dicens: Cum essem Theopoli apud Patriarcham Antiochenum Gregorium, venit ab Jerosolymis Abbas Cosmas, eunuchus Laure Pharan, vir singularis religionis et fidei, rectorumque dogmatum valde tenax et zelator, ac divinarum Scripturarum scientia non medioeriter instructus; cum ergo fuisset ibi senex dies non paucos defunctus est; et jussit Patriarcha pretiosas illius reliquias in monasterio suo sepeliri, ubi et positus erat quidam Episcopus. Die igitur quadam profectus sum ut

salutarem sepulchrum senis. Erat autem supra sepulchrum ejus jacens homo quidam pauper eleemosynam petens ab ingredientibus in templum. Cum ergo me conspexisset pauper, tertio prostratum et seni orationem facientem, dicit mihi: Abba, magnus erat profecto senex ille, quem sepelistic hic ante duos menses. Tunc ego ad illum: Unde tu hoc nosti? Qui respondit: Vere, Domine Abba, ego paralyticus fui annis duodecim, et per ipsum curavit me Deus, et quoties in tribulatione sum venit ad me consolationem afferens, mihi que refrigerium præstat. Ex qua die illum sepelistic, usque ad horam hanc, audio illum singulis noctibus, clamantem ac dicentem ad Episcopum: Noli me tangere, Hæretice, et ne appropinques mihi, inimice Sanctæ Dei Ecclesie Catholice. Hoc ego audiens ab eo qui sanatus fuerat, perrexi, et omnia ex ordine Patriarchæ retuli, orabamque ipsum sanctissimum Patriarcham, ut sumptum ex eo loco corpus senis in sepulchro alio conderemus. Tunc ait Abbas Patriarcha: Mihi crede, filii, nihil ab Hæretico leditur Abbas Cosmas, sed hoc tantum factum est, ut senis virtus, zelusque fidei nobis innotesceret, qualis semper fuerit, qualisque etiam sit post carnis occubitum, utque Episcopi nobis proderetur opinio, ne illum arbitraremur Orthodoxum fuisse atque Catholicum. JOAN. MOS. EMIN. *Prat. Spir.* s. XL.

QUALITAS. — Primus Hæreticus, juxta Marchantium, Cain fuit, unde Apostolus Judas dicit: Vae illis, qui in via Cain abierunt! Illi autem, juxta S. Thomam, in viam Cain abierunt, qui gladio perverse doctrine fratres suos interficiunt. MARCII. tr. I, *Hort. Past. lect.* VII, prax. 1.

In urbe Metis cum nobilibus Catholicis advertisset, se judices hæreticos nulla ratione ad sententiam pro se ferendam adducere posse, finxit se ipsorum fidem amplexturum. Quo pacto cum paulo post sententia pro ipso lata esset: Jam habeo, dixit, quod volo; abite in malam crucem vestra abortiva religione. Nonne superioribus mensibus eadem causæ mee æquitas fuit? BALD. CHAVASS. l. IV, *de Notis fid.* c. 1.

Bernardus Ochinus, cum Episcopatu Florentino et Cardinalatu frustratus, Genevæ ad Calvinistas transisset, et postea in morte a Catholicis ad reditum incitaretur, respondit: Quid me vultis facere? Uxorem et liberos abjicere non possum. Hæ causæ erunt mee damnationis. COSTERUS, *in Dom. Ser.*

Cum B. Cyriacus Nestorianum monachum Deo commendaret, circa nonam sequentis diei vidit Fratrem, qui erat in spelunca, quemdam aspectu terribilem astare et dicere: Veni, et vide veritatem. Tum in locum tenebrosam ducere, ubi inter foetidos ignes Nestorianum, Eutychetem, Apollinarem, Dioscorum, Severum, Origenem, et alios cum ostendisset, dixit illi: En locus iste pro Hæreticis paratus est. SOPHON. *in Prato Spir.* c. XXVI.

In civitate Lombardiæ cum Hæreticus quidam ignotus in hospitali graviter ægrotans ad viaticum sumendum admoneretur, et graves in SS. Sacramentum blasphemias efflueret, catus domesticus mansuetissimus in eum irruit, gutturque ac labia illius unguibus laceravit; quod cum altera vice faceret, tandemque, ne omnino eum perimeret, abtractus esset, Hæretico paulo post inter blasphemias defuncto et extra civitatem sepulto, emissus e cavea ecurrat ad sepulchrum, et tandiu conatus est illum effodere, quoad labori immortuus est. DAUBOIT. *in Catech. Hist.* c. III, tit. XVIII, n. 6.

Wenceslaus, duodecimus Bohemiæ Rex, quia falsa politici status ratione delusus, Hæreticis liberam agendi potestatem concesserat, gravissimis subditorum dissensionibus vexatus, et cum arma corripisset, a suis turpiter desertus, vitam et regnum amisit. *Ibid.* tit. XIX, n. 7.

EXEMPLA DOMESTICA.

S. Ignatius valde cavebat, ne suis aliquid subreperet, quod candorem fidei quoquo modo inquinaret, et peregrinis opinionibus inficeret, unde metuens, ne id per necessariam Hebræicæ lingue cognitionem eveniret, statuit, ut nostri Vulgata editionem mordicus tuerentur, quod et in Concil. Trident. postea decretum fuit. Eundem in finem saluberrimas quoque regulas conscripsit, ut cum Ecclesie sentiamus, observandas. *Vit.* l. V, c. x.

P. Petrus Faber ita aversabatur Hæreticos, ut nollet eos etiam recte decentes audiri, aut ad eorum voluntatem aliquid in Ecclesia ad meliorem formam revocari: Sicut enim, aiebat, Demones vera interdum, sed non ex veritate spiritu, confitentur; ita Hæreticos multa interdum bona præcipere, sed ea, quoniam simili veritatis tuendæ spiritu non

præcipiuntur, minime grata esse Deo. *Vita*, l. II, c. xx.

SIMILITUDINES.

QUALITAS.—Sicut folles interdum necessarii sunt, ut ignis sopitus suscitetur; ita, teste Apostolo, oportet Hæreses esse, ut et probati manifesti fiant, et non probatorum fervor et incredulitas excitetur. *MARCH.* tr. I, lect. VII, prop. III.

Sicut is merito stultus crederetur, qui ex aurea Regis imagine liquefacta canis imaginem formaret, Regisque diceret formam representare, eo quod antiquum aurum esset; ita Hæretici quoque inepte agere censendi sunt, dum suas doctrinas Scripturæ conformes dicunt, eo quod ad easdem tenendas sententiis ex sacra Scriptura petitis abutantur. *D. IREN. adversus Hær.*

Sicut lupi famelicis, una ovicula comprehensa, eam ita lacerant, ut nullum ejus membrum intactum relinquunt; sic Hæretici hodie omnia dogmata Ecclesiæ convellere et labefactare conantur. *Ibid.*

Sicut per creaturas visibiles, per quas homines Deum agnoscere debebant, Diabolus Gentiles ignorare fecit Deum; ita, unde oportebat Christum agnoscere, scilicet ex Scripturis Sacris, Christi ignorantem introducere conatus est, hæreticas intelligentias callide ingerendo. *S. BASIL. de vera Virgine.*

Sicut pirate in occultis scopulis maris lumen accendunt, ut navigantes ad naufragia perditionis sub spe salutis obtinendæ perducant; ita Hæretici lumen falsæ doctrinæ ostendunt, ut salutis suæ cupidos sub hæc luminis specie ad fidem et salutis naufragium pertrahant. *ORIGEN. in c. XIV ep. ad Rom.*

Sicut aucupes frondem mortuam visco illitam, et aves mortuas velut vivas in ramis collocatas circumferunt, ut aves advolantes irrelitas capiant; ita Hæretici litteram S. Scripturæ, quæ occidit, falso sensu velut visco illinant et proponunt, ut simplices homines ad verbum Dei avidè advolantes perimant. *STAFLET.* l. sup. c.

Sicut improbi pueri pædagogum excludunt; ita Hæretici arcant Prophetas a sua Ecclesia, ne ab iisdem de falsis doctrinis arguantur. *CLEMENT. ALEX. l. VII Strom.*

Sicut simia omnia hominis habet mem-

bra, nec tamen homo est; ita Hæresis, licet omnia Ecclesiæ mysteria imiletur, non tamen propterea ea vera Ecclesiæ sunt mysteria. *S. CHRYS. hom. XIX, Op. imperf.*

Sicut tela aranæe muscas quidem et alia parva animalia capere potest, et fortioribus autem rumpitur; ita Hæretici simplices quidem doctrinis suis decipere, non autem robustioribus in fide nocere possunt. *S. HIER. in epist. ad Cyp.*

Sicut caupones, ut austerum vinum mitigent, gustuique gratius efficiant, aqua corrumpunt; ita Hæretici austeritatem S. Scripturæ suo sensu corrumpunt, ut cum majori delectatione quidem, sed non perinde fructu ab auditoribus hauriatur. *Id. in c. III Isaïæ.*

Sicut Hydra, licet sæpius recisa, semper repullulavit, auctiorque evasit; ita Hæreses, quo vehementius excindere eas Catholici Doctores studuerunt, tanto majus incrementum sumpserunt. *S. AMBR. l. I de Fide.*

Sicut inter plagas Ægyptiacas etiam rane in paludibus habitantes et in domos prorepentes fuerunt; ita Deus Christianos per Hæreticos velut ranas loquaces, strepitum vocum, sed non veritatem doctrinæ habentes, tædiumque auribus, non citos mentibus afferentes affligit. *S. AUG. de decem Plag. c. II.*

Sicut Moab et filii Ammon de consanguinitate Abrahæ descenderunt, et tamen genus Abrahæ semper oderunt; ita Hæretici in Christum quidem se credere dicunt, et tamen Christianorum Catholicam fidem subvertere conantur. *RUFERTUS, l. II, in Sophonian.*

Sicut Dathan et Abiron sub specie pietatis, Moysi principatum adimere conabantur; ita Hæretici sub prætextu religionis reformandæ legitimam Pontificum successionem et potestatem evertere moluntur. *EUGENIUS, in c. XI Deuter.*

DAMNUM.—Sicut Evam decepit serpens promittendo, quod non habebat; sic Hæretici pretendentes majorem agnitionem in morte demergunt sibi credentes. *IENEENS, in Prol. l. IV.*

Sicut dipsas, venenatus serpens, aquam, quam in rivulis haurit, veneno inficit, ut bestias pariter ex ea bibentes intolerabili siti accendat, et tandem omnino perimat; ita Hæretici, dum S. Scripturas velut fontes veritatis, veneno suæ falsæ doctrinæ corrumpunt, maximam quidem Verbi divini orexin excitant, sed per eandem certum

anime interitum creant. *S. EPIPH. hæres. XXXIV, contra Manich.*

Sicut membrum a corpore præcisum vivere non potest, nec ramus ab arbore separatus virescere; sic omnes Hæretici ab Ecclesia sejuncti, nec vitam gratiæ, nec viriditatem veræ virtutis habere possunt. *S. CHRYS. hom. XLVI, Op. imperf.*

Sicut is, qui naufragium facit, nudus et omnibus rebus destitutus evadit; ita qui fide exciderit, nihil jam habet ubi figatur, aut ubi seipsum recipiat. *Id. hom. I, in c. I, Timoth.*

Sicut scintilla res parva est, et tamen, ubi fomitem comprehenderit, urbes et regiones integras consumit; ita hæretica doctrina, licet in speciem exigua, integras provincias pervadit et accendit. *Id. l. III, in c. V, Gal.*

Sicut spina, ex quacumque parte illam aspereris, aculeos habet, et pungit; ita Hæreses ex omni parte fodiunt et lædunt, nec nisi venenata sub iis animalia latent. *STAFLET. II, in Dom. 7 post Pent.*

Sicut lethale poculum mellis dulcedine temperatum suavitate fallente perimere solet; sic et Hæresis per blandimenta aurium audientium sensus quadam labe contaminans, contagione adhærentes inficit. *S. GRÆG. NAZIANZ. l. de Fide.*

Sicut corpora gravia in centro non gravitant; ita cum Hæresis ad profundum pertinacia venerit, gravare conscientiam cessat. *MARCH. tr. I, lect. VI, prop. II.*

Sicut pestis, ubi semel intraverit, serpendo semper crescit, et difficulter expellitur; ita Hæreses, ubi invaluerint, semper ulterius serpunt, nec nisi per summam violentiam, aut auxilium speciale Dei extirpantur. *Id. prop. III.*

Sicut camelus non solet bibere, nisi turbet aquam; ita nec Hæresis ingredi, nisi turbet Republicam. *Ibidem.*

Sicut nauta, si navim dirigant secundum stellas erraticas, in certum aberrandi a vera via periculum se conjiciunt; ita qui hæreticas sequuntur doctrinas, non possunt non cum ipsis errare. *Ib. prop. I.*

MOTIVA.

Quia Hæresis gravissimum est vitium; nam ipsam destruit fidem, quæ est primum inter dona Dei, et fundamentum cæterorum; un-

de hoc unice laborat Diabolus, ut fundamentum hoc destruat, eumque in finem suos illis Psalmistæ verbis excitat: Excitantur usque ad fundamentum in ea. *Ps. CXXXVI, 7.*

Quia pestiferum est vitium, et hæreditarium, sicut lepra et pestis; unde sicut peste correpti ab aliis separantur, et leprosi extra urbes habitare coguntur; ita idem de Hæreticis sentiendum est. *MARCH. tr. I, lect. VI, prop. II.*

Quia perniciosissimum est vitium; utpote quod est seminarium omnis discordiæ et rebellionis, dum Religionem velut fundamentum stabilitatis tollit, et subditorum cum capite consensum et unionem convellit. *Ibidem.*

Quia miserimum et tristissimum est vitium; eo quod cæcitas anime sit, atque adeo Hæreticus lumine veræ fidei destitutus, merito cum S. Tobia exclamet: Quale gaudium mihi erit, qui in tenebris sedeo, et lumen cœli non video? *Tob. v, 12.*

Quia stultissimum est vitium. Quæ enim major stultitia exogitari poterit, quam superne veracitati assensum negare, et doctrinam ab homine fallaci, scelesto, et ignorante traditam amplecti?

Quia periculosissimum est vitium; quoniam sine fide impossibile est placere Deo (*HEB. XI, 6*), atque adeo certo exitii æterni discrimini se committit, qui Hæresim aliquam voluntarie amplectitur.

Quia vitium hoc difficilissimum curatu est; nam, ut S. Paulus ait, impossibile est, eos, qui semel illuminati sunt, gustaverunt etiam donum cœlestis, participes facti Spiritus Sancti et prolapsi sunt, rursus renovari ad penitentiam. *HEB. VI, 4.* Hinc idem Apostolus de talibus dicit, quod *cauteriatam* habeant conscientiam, (*I TIM. IV, 2*), quæ perinde ut caro cauterio instilla sensum amisit.

MEDIA.

Superbiam velut radicem Hæresis tollere; nam, teste S. Augustino, diversis locis sunt quidem diversæ hæreses, sed una mater superbia omnes genuit, sicut una mater nostra Catholica Ecclesia omnes Christianos fideles toto urbe diffusos. *S. AUG. de Post. c. VIII.*

Ceremonias Catholicas magni facere; quia quod sal præstat carnibus, vagina gladio,

cortex arbori, et folia fructibus, hoc cæremoniæ Religioni Catholice; non enim solum sunt Symbola militaria, quibus castra Sanctorum ab agminibus Dæmoniorum, et Religio vera a falsa discernitur, sed etiam fovent, nutriunt, augent illam, atque confirmant. *BUSEBUS, in Pan. V. eod.*

Colloquia et commercia hæreticorum sollicitè devitare. Sic enim S. Paulus monuit dicens: Profana et inaniloquia devita; multum enim proficiunt ad impietatem, et sermo ut caner serpiti. *I. TIM. II. 16.* Super que verba Vincentius Lyrinensis: Devita, ait, quasi viperam, quasi scorpionem, quasi basiliscum, ne te non solum tactu, sed etiam visu affectuque percutiant. Quid est profana? Quæ nihil habent sacri, nihil religiosi, ab Ecclesiæ penetralibus, quæ est templum Dei, penitus extranea.

A lectione librorum Hæreticorum abstinere. Sic Abbas Isaias suasit suis monachis: Si librum inveneris, qui dicatur esse Hæreticum, cave illum legas, ne veneno mortifero cor tuum impleat, sed in ea doctrina, quam in Ecclesia sancta didicisti, ita persiste, ut ei nihil addas, nihil detrahas. *ISAIAS, AB. OR. IV.*

Frequenter a Deo lumen petere, et oratione se contra Hæreses armare. Ita S. Augustinus propria experientia doctus suasit dicens: Restabat autem aliud nihil in tantis periculis, quam ut divinam providentiam læcymosis et miserabilibus vocibus, ut opem mihi ferret, deprecarer; atque id sedulo faciebam. *S. AUG. I. de Util. cred. c. VIII.*

ASCETICA.

Quatuor fere sunt, quæ Asceta de hoc vitio præcipue nosse debet. Primum est, ut causas, ob quas Deus Hæreses permittit, bene cognoscat, ne nimium ob earum exortum perturbetur; eæ autem sunt tres potissimum. 1. In penam et punishmentem peccatorum nostrorum, sicut maledicta est terra propter peccatum Adæ, ut spinas et tribulos germinaret. Unde Apostolus ait: Charitatem veritatis non receperunt, ut salvi fierent, ideo mittit illis Deus operationem erroris, ut credant mendacio. *II. THESS. II. 10.* 2. Ad excitationem torporis in Sacre Scripturæ studio, et veritatis illustrationem; nam, ut reele S. Augustinus advertit, ab adversario mota quæstio discendi existit

ocasio; multa quippe ad fidem Catholicam pertinentia, dum Hæreticorum callida iniquitate exagitantur, ut adversus eos defendi possint, et considerantur diligentius, et intelliguntur clarius, et prædicantur ferventius. *S. AUG. I. sup. Gen. 3.* Ut probati manifesti fiant, quemadmodum S. Paulus loquitur. *I. Cor. XI. 19.*

Alterum est, ut veram regulam teneat, ex qua Hæreses cognoscere et refutare possit; talis autem est, teste Vincentio Lyrinensi, si universitatem, antiquitatem, et consensionem, si hanc unam fidem veram esse fateamur, quam tota per orbem terrarum confitetur Ecclesia. Antiquitatem vero, si ab his nullatenus recedamus sensibus, quos sanctos majores ac Patres nostros celebrasse manifestum est. Consensionem denique, si in ipsa vetustate omnium, vel pene omnium Sacerdotum pariter et Magistrorum definitiones sententiasque sectemur. *VINCENT. LYRINEX. in Comm. c. III.*

Tertium est, ut solidum modum teneat, secure et efficeiter concertandi, ubi opus est, cum Hæreticis; quem quidem bene Tertullianus assignasse videtur, dum dixit: Non ad Scripturas provocandum est, nec in his constituendum certamen, in quibus nulli nulla, aut incerta victoria est; nam etsi non ita evaderet collatio Scripturarum, ut utraque partem parem sisteret, ordo rerum desiderabat illud prius proponi, quod nunc solum disputandum est, quibus competat fides ipsa, cujus sint Scripturæ; a quo, et per quos, et quando, et quibus sit tradita disciplina, qua fiunt Christiani. Ubi enim apparuerit esse veritatem disciplinæ et fidei Christianæ, illic erit veritas Scripturarum, et expositionum, et traditionum omnium Christianarum. *TERTULLIAN. I. de Præsc. c. XIX.*

Quartum est, ut etiam modum efficeam convertendi Hæreticos norit, qui quidem in tribus præcipue industriis consistit. 1. Ut ad petendum a Deo lumen eos instiget; sicut enim cæcitas corporalis non nisi extraordinaria Dei virtute tollitur, ita et mentalis hæc obcæcatio non nisi per specialem Dei favorem gratiamque curatur. 2. Ut ad bonorum operum frequens exercitium eosdem animet; nam, ut bene S. Chrysostomus advertit, sicut sole manente non prævaleat nox; cum autem accesserit ad occasum, tunc occupat mundum, sic quando lumen Justitiæ in homine fuerit, tenebræ erroris eum non

apprehendunt; secus vero si illud ablatum fuerit, quia non error generat peccata, sed peccata errorem. 3. Ut falsitatem et malam coherentiam doctrinarum hæreticarum ostendere conetur, et sicut Samson vulpes caudis alligatas et accensas in hostium messem immisit; ita et ipse Asceta adversantes sibi Hæreticorum doctrinas in cauda, id est, coherentia colliget, seu falsas ostendat, ac in ipsos adversarios retorqueat. *S. CHRYS. hom. XIX, Op. Imp.*

CONCEPTUS PRÆDICABLES.

Ex occasione thematis: *Hi sunt nubes sine aqua, quæ a ventis circumferuntur, etc. (JUDÆ XII),* explicari possunt proprietates Hæreticorum, videlicet 1. Quod sint *nubes sine aqua*, id est, Doctores sine vera sapientia, quæ proinde a vento circumferuntur, seu ad suggestionem spirituum immundorum in diversos errores rapiuntur. 2. *Arbores autumnales et infructuosas, bis mortuas, eradicatas.* Quia sicut arbores quædam in autumno fructus immaturos, speciem, sed non substantiam pomi habentes, producunt, mortemque corporis et animæ, gratiæ et gloriæ, temporalem et eternam incurunt; ideoque etiam ex horto Ecclesiæ sunt eradicati, quia nec meritum, nec suffragiorum participes. 3. *Fluctus feri maris despiciuntur confusiones suas.* Quia sicut fluctus maris sunt inquieti, tumidi, amari, tenebrosi, Ecclesiæque stabilitatem impugnantes, et quia sicut mare primo motu fluctuat, postea ululat, et finaliter spumat; ita ipsi primo fluctuant in fide, postea fremunt per blasphemias, et tandem per furorem spumant contra Ecclesiam. 4. *Sidera errantia.* Quia licet lucem aliquam veritatis ostendant, ea tamen nulli stabili fundamentis inniunt. Quæ omnia brevius complexus est D. Thomas, dum dixit: Comparantur nubibus propter fidei instabilitatem, arboribus propter operum sterilitatem, fluctibus propter eorum turbationem, sideribus errantibus propter doctrinæ falsitatem.

Ex occasione thematis: *Serpentes gentiana viperarum, quomodo fugietis a ventura ira? (MATTH. XXIII, 33)* possunt serpenticibus comparari Hæretici. 1. Quia, sicut serpentes, sunt prudentes in malo et stulti in bono. 2. Quia, sicut serpentes, varii sunt in corpore; ita ipsi varii in erroribus. 3. Quia

sicut serpentes repunt super ventrem; ita ipsi omnia propter ventrem faciunt, et propter vanam gloriam pectoris sui. 4. Quia sicut serpentes terram manducant; ita illi non nisi homines terrestres et carnales capiunt perfidia sua. 5. Quia sicut serpentes, ut nascantur, rumpunt viscera matris; ita illi rumpentes fidem Matris Ecclesiæ ad principatum processerunt. 6. Quia sicut serpens Evam, et per hanc Adamum sciendi et regendi inordinata cupidine decipit, totique generi humano graviter nocuit; ita illi simili medio incautos et simplices homines, opumque et honorum cupidus, decipiunt, graveque toti Ecclesiæ damnum inferunt. 7. Quia sicut serpens propter hanc deceptionem a Deo maledictus est, perpetuamque inter ipsum et mulierem decipiam inimicitia constituta est; ita similis poena et maledictio Hæreticis manet. *Vide S. Chrysost. hom. 43. Operis Imperfecti.*

Ex occasione thematis: *Capite nobis vulpes parvulus, quæ demoliantur vineas, (CANT. II, 15)* comparari possunt Hæretici vulpibus. 1. Propter *fraudulentiam.* Quia sicut vulpes gallinas, ita ipsi animabus, insidiantur. 2. Propter *feritatem.* Quia sicut vulpes non mansuescit facile, ita nec Hæretici ad mansuetudinem Christianam assumendam facile adducuntur. 3. Propter *inutilitatem.* Quia sicut vulpes ad nihil utilis est, ita nec Hæretici. 4. Propter *damnum* Ecclesiæ illatum, quam velut vineam florentem demoliantur. Immo et Diabolus Samsonem factum imitatus eos communi et concordi odio in Ecclesiam colligatos et accensos in ejusdem Ecclesiæ messem immitit, ac electum triticum pro viribus destruit; quo tamen igne ipsiusmet sibi quoque graviter nocent, exitumque sempiternum erant. *Vide S. Ambrosium, I. II, in Luc. c. vi.*

Ex occasione thematis: *Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filios, (CANT. II, 2),* potest Ecclesia lilio ob candorem innocentie, *fragrantiam* boni exempli, et *paritatem* doctrinæ, comparari. Hæretici vero spinis, propter *sterilitatem*, utpote qui honorum operum necessitatem negantes, ea omnia peccatum esse asserunt; propter *effectus malos*, quos spinis similes producunt; nam pungunt maledictis, vulnerant doctrinis, prætereuntes spoliunt bonis spiritualibus et temporalibus, et, sicut spinæ, non facile excutiuntur ab eis, quos implicarunt; propter *latentes hospites*, quia sicut sub spinis se de-

tinent venenati serpentes; ita sub Hæreticis serpens infernalis, qui primos parentes decepit; et denique propter similitudinem excipit; quia sicut spina igne concremantur; ita Hæretici flammis sempiternis destinantur. Vide Fabrum, conc. ix in *Dom. vii, post Pentec.*

Ex occasione thematis: *Attendite a falsis Prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces*, (MATTH. VII; 15) possunt Hæretici lupis comparari obsequentes causas. 1. Quia, sicut lupi, insidiantur ovibus Christi, et fremunt circa caulas nocturno magis tempore, quam diurno. 2. Quia, sicut lupi, licet versentur circa caulas, stabula tamen, id est, Ecclesiam, in qua oves clauduntur, intrare non audent. 3. Quia, sicut lupi, explorant pastoris absentiam, et ideo Pastores Ecclesiarum vel necare, vel in exilium agere contendunt, eo quod illis præsentibus oves Christi incursare non possint. 4. Quia, sicut lupi, mentis intentione duri ac rigidi nequam solent a suo errore deflectere. 5. Quia, sicut lupi, si quem versuta mentis suæ circumscriptione prævenierint, obmutescere faciunt; si autem commenta impietatis eorum agnoveris, jacturam pie vocis timere non poteris. 6. Quia sicut lupi animam petunt, guttur invadunt, vitalibus vulnera affligunt. 7. Quia, sicut lupi, vestitum ovium habent, facta prædonis; foris oves, intus lupi. 8. Quia, sicut lupi, ululant, et sermone sacrilego bestiale murmur interstrepunt. Que omnia ex S. Ambrosio, l. VII, in c. x *Luc.* desumpta vide fusius explicata apud Fabrum, conc. ix, in *Dom. vii, post Pentec.*

Ex occasione thematis: *A fructibus eorum cognoscetis eos*, (MATTH. II, 16) possunt explicari pessimi fructus Hæresum, scilicet: 1. *Cæcitas et errores*; utpote de quibus merito Christus dixit: *Cæci sunt et dæces cæcorum*. 2. *Impietas* per Religionis veræ exterminationem, S. Scripture depravationem, Sacrorum profanationem, Traditionum Apostolicarum expulsionem, SS. Patrum contemptum, odium Papæ, rebellionem subditorum excitatam, persecutionem Ecclesie et Catholicorum, demonstrata. 3. *Morum corruptela* per libertatem carnis, bonorum operum extirpationem, veteris confidentiæ et sinceritatis exilium, odium Ecclesiasticorum, oppressionem Catholicorum, insidias et machinationes contra Principes, introducta. Quæ videri, possunt fusius de-

ducta apud Fabrum, conc. vii in *Dom. vii, post Pentec.*

Ex occasione thematis: *Qui non intrat per ostium in ovile ovium, sed ascendit altunde, ille fur est et latro*; (JOAN. X, 1.) possunt explicari foramina, per quæ Hæretici intrare solent, ut pro viribus obstruantur. Primum ilaque foramen fuit *dissoluta vita Clericorum*. Secundum *ruditas et inscitia Pastorum*. Tertium *Prælatorum oscitantia et somnolentia*. Quartum *morum corruptio*. De quibus vide fusius disserentem Fabrum, conc. v, in *Fer. iii Pent.* Alio modo potest idem thema tractari explicando origines Hæresum, scilicet curiositas examinandi articulos fidei, libido contradicendi, arrogantia, avaritia, ambitio, luxuria. De quibus fuse discurrit idem Fab. conc. viii in *Dom. i Quadrage.*

Ex occasione thematis: *Simile utraque crescere usque ad messem*; possunt Hæretici zizanias comparari, et afferri rationes, cur permittantur hæreses, nempe: 1. Ad probationem justorum. 2. Ad Ecclesie purificationem. 3. Ad Scripture Sacre illustrationem. 4. Ad fidelium correctionem et augmentum. 5. Ad pœnam peccatorum. Quas rationes fusius probat Faber, conc. v *Dom. v, post Epiph.*

Ex occasione thematis: *Caveat a fermento Pharisaorum*, (MATTH. XVI, 6) possunt Hæreses fermento ob celorem earum propagationem comparari, et cause hujus tam festinate propagationis afferri, nempe: 1. Doctrinæ suavitas et plausibilitas. 2. Vita Christianorum dissoluta. 3. Innata Hæresum fecunditas. 4. Inquietudo et zelus Hæresiarcharum. 5. Eorumdem fraudulencia. 6. Violentia illorum; uti fusius Faber, conc. v in *Dom. vi post Epiph.* ostendit.

Ex occasione thematis: *Accendit lucernam, et everrit domum, et querit diligenter, donec inveniat eam*, (LUC. XV, 8) possunt afferri varia motiva, quæ Hæreticos persuadere debent ad hæresim suam relinquendam; quorum primum est *Communitio Dei* per varia omnia futuræ in Ecclesia perturbationis. Secundum, *Ordines Sacri* a fundamentis erecti, et Hæresiarchis oppositi. Tertium, *Censuræ* gravissimorum et doctissimorum virorum in Hæreticos late. Quartum, *Confusio et divisio Hæreticorum*. Quintum, *Turpissima vita et mors ignibilis Hæresiarcharum*, ex quibus velut fructibus eorum qualitas cognoscitur. Sextum, *Victo-*

rie a Catholicis contra Hæreticos obtentæ. Quæ omnia fuse explicat Faber, conc. viii in *Dom. iii, post Pentec.*

Ex occasione thematis: *Quis ex vobis patrem petit panem, nunquid lapidem dabit illi?* (LUC. XI, 21) potest explicari falsitas et pernicies Hæreticæ doctrine. 1. Quia *pro pane dat lapidem*, id est, pro vero Corpore Christi naturalem panem. 2. Quia *pro pise dat serpentem*, id est, pro vera remissione peccatorum offerunt fiduciam noxiam et mortiferam. 3. Quia *pro ovo dat scorpionem*, id est, pro vero Dei verbo multipliciter corruptum; ut pluribus demonstrat Faber, conc. vi, in *Fer. Rogat.*

Ex occasione thematis: *Confundamus linguam eorum, ut non audiat unusquisque vocem proximi sui*, (GEN. XI, 7.) possunt Hæretici edificatoribus turris Babel comparari. 1. Propter *vanitatem intentionis*, qua falso putaverunt, fore ut sum ædificium ad cælos usque pertingat. 2. Propter *vanitatem laboris*; quia ab opere suo desistere sunt coacti. 3. Propter *vanitatem exitus*; quia per divisionem linguarum audire seipsos mutuo noluerunt. Que omnia facile ex lucusque dictis amplificari possunt.

Ex occasione thematis: *Et porte inferni non prævalebunt adversus eam*, possunt proponi et refutari objectiones potiores Hæreticorum contra nostram fidem, nempe: 1. Quod Christus sit injuriosa. 2. Idololatrica. 3. Prædatrix Calicis. 4. Vero Dei verbo carens. 5. Rigorosa nimis. Quæ omnia vide fusius refutata, tum apud Fabrum, conc. 7, in *Dom. xvii, post Pentec.*, tum apud Christ. Pilaumarum et alios.

MISCELLANEA.

QUALITAS. — S. Augustinus recte Hæreticos limlicibus comparat, qui dum vivunt, mordent, mortui autem foetent. S. AUG. l. IV, in *Jul. c. ix.*

Breviter, sed bene Hæresim descripsit Poeta, qui cecinit:

Quaque ruit, furibunda ruit, totumque per orbem Fulminat, et cæcis caeca triumphat equis.

Apud March. tr. I, lect. vi, prop. 3.

Contingit Hæreticis idem fere, quod Ezechiel, qui vidit aquas egredientes, quæ ipsi ab initio usque ad talos, dein usque ad genua, et postea usque ad renes pertingebant, ultimo autem factæ sunt in similitudinem

torrentis. EZECH. XLVII. Sic enim dum iudicio proprio confisi, penetrare volunt divina mysteria, quo amplius progrediuntur, eo majori periculo fiunt obnoxii, et denique omnino submerguntur.

S. Ambrosius ait noctuam Hæreticorum esse symbolum, quia tenebras amplectuntur Diaboli, et lucem Salvatoris horrescunt, ac grandibus disputationum oculis cernunt vana, non respiciunt sempiterna. S. AMBR. serm. 41. Et præterea, ut avis mali augurii est noctua, ita illi quoque omnia infausta sibi et aliis annuntiant, æternum quondam in tenebris ululabant, ut merito illis applicari possit illud Ovidii:

Fidaque sit volucris venturi nuntia luctus,
Ignavus bubo, dirum mortalibus onem.

Tympius ait, Lutheranos vere in aliquo sensu dici posse Reformatores Ecclesie ob duas causas. 1. Quia, cum ipsi in Ecclesia nostra fuerint paleæ, suo egressu purius tritium effecerunt. 2. Quia per suam defectionem dederunt occasionem ut Catholicis in bonis moribus reformarentur, dum per varia decreta Conciliorum mali abusus ac scandala sublata, et alia laudabiles consuetudines introductæ sunt. TYMPIUS, in *Mensa Theol. Phil. V, Hæretic.*

Justus Baronius Lutherò hoc elogium dedit: Lutherus heri Monachus, hodie Sponsus, eras Maritus, per inde Pater. BARON. in *lib. de Præscript.*

De Christi Evangelio S. Paulus dixit: Ego plantavi, Apollo rigavit, Deus autem incrementum dedit. (I Cor. iii, 6.) Lutherus de suo dicere potest. Ego plantavi, Melancthon rigavit, Diabolus autem incrementum dedit.

Hæretici Gabaonitis similes sunt, quia asinos suos, id est, Ministros pane suo onerant, et vestes vetustas S. Scripture præferunt, quasi qui longe a primitiva Ecclesia venierint. Hinc multi hoc dolo Christiani capti, quia suceperunt de cibariis eorum, et os Domini non interrogaverunt. BUSSÆUS, *Dom. 8, post Pent.*

Joannes ol' in vidit bestiam ascendentem de terra, habentem cornua duo similia agnæ, et loquebatur sicut Draco; (APOC. XII.) quæ bestia recte Hæreticos significat, nam et hi cornua agnæ Scripture gerunt, ac virtutis speciem, sed voce sua animas enecant ac devorant.

Samson reperit leonem a se occisum, in

cujus ore mel, cætera leo erat; (JUDIC. XIV.) ita Hæretici loquuntur pacem cum proximo suo, mala autem in cordibus eorum.

Similes quoque Hæretici sunt Joab, qui dixit ad Amasam: Salve, mi frater! et tenuit manu dextra mentum Amasæ, quasi osculans eum; et interea percussit eum in latere, et effudit viscera ejus; (II REG. XXIX.) nam et ipsi sic sub saccharatis verbis gladios ingerunt.

Alias in Apocalypsi vidit S. Joannes animal cum facie humana, sed cum caudis scorpionum, (APOC. IX.) quod recte Hæreticos denotat; nam et hi, ut Theophylactus ait, blandiloquentiam prætexunt, et vitam simulant sanctam, sed intrinsecus latet aculeus.

Tria genera maleficorum a legibus ad flammam damnantur, incendiarii, sacrilegi, et monetam adulterantes; atqui Hæretici incendunt domum Dei et triticum S. Scripturæ, sacra sacrilege profanant, ac Scripturam adulterant. Bussæus, in *Dom. 3 post Pent.*

AXIOMATA.

Recte Hæreticis quadrat, quod nonnemo cecinit:

Pelle sub agnina latitat mens saepe lupina.
Fidite, ne fidei causa sit absque fide.

AUCTORES.

Jacobus Marchantius, in *Horto Pastorum*, tr. I, lect. vi et vii.

Joannes Bussæus, in *Panario Verb.* eodem.

Petrus Canisius, tom. I, c. 1, de *Doctrina Christiana*.

Philippus d'Outreman, in *Padagogio Christiano*, p. II, c. 11, § 4.

Joannes Dadræus, in *Locis Comm. Verb.* eodem.

Mathias Faber, in *Opere tripartito*, tom. II et III, conc. 8 et 9, in *Dom. post Pent.* Item, conc. 5, in *Dom. 5 et 6 post Epiph.* Item, conc. 8, in *Dom. 2 et 3 post Pent.* Item, conc. 7, in *fer. Rogat. et Dom. post Pent.*

Thomas Stapletonus, in *Pronptuario*, text. 8, in *Dom. post Pascha*. Item, text. 1 et 2, in *Dom. post Pent.* et text. 4, in *Dom. 24 post Pent.*

Petrus Bossæus, in *Dom. post Epiph.* p. IV, et *Dom. 8 post Pent.* part. III.

Georgius Scherer, in *Dom. 8 post Pent.* et alibi passim.

HONOR.

QUOD ESSENTIAM.

DEFINITIO. — Est reverentia exterior, quæ alieni ob excellentiam deferitur. Hinc S. Thomas definivit testificationem excellentiæ alterius. Jos. LANG. in *Polyant. V. eodem*. Distinguitur autem a *Fama*, quod hæc in interna opinione consistit; a *Laude*, quod hæc sit testificatio excellentiæ alterius verbis manifesta; honor autem aliis signis exterioribus eandem excellentiam testatur. S. THOM. II, q. ciii, a. 1, ad 2.

DIVISIO. — Dividitur in *divinum et humanum*; ille est, qui Deo ob singularem excellentiam soli deferitur, et a Grecis *Latria* vocatur; hic est, qui hominibus vel etiam Angelis deferitur.

EX S. SCRIPTURA.

QUALITAS. — Sapiens in populo hereditabit honorem, et nomen illius erit vivens in æternum. ECCL. XXVII, 29.

Magnus, et iudex, et potens est in honore; et non est major illo, qui timet Deum. ECCL. X, 27

Semen hominum honorabitur hoc, quod timet Deum; semen autem hoc exhonorabitur, quod præterit mandata Domini. IB. 23.

Quicumque honorificaverit me, glorificabo eum; qui autem contempnunt me erunt ignobiles. REG. II, 30.

DAMNUM. — Elevasti me, et quasi super ventum, (id est, loco honoris editissimo) ponens, elisisti me valide! JOB. XXX, 2.

Et tu Capharnaum usque ad cælum exaltata, usque ad infernum demegeris. LUC. X, 15.

Qui se exaltat, humiliabitur. IB. XIV, 11.

EX SS. PATRIBUS.

QUALITAS. — Honor verus, virtus animi est; hic honor nec a Cæsaribus præstat, nec adulatione conquiritur; nec pecunia præparatur, nihil fucati in se habet, nihil simulati, nihil occulti; hujus honoris suc-

cessor est, nullus accusator, nullus ingratus. S. CHRYS. de *Repar. lapsi*.

Inter res exteriores hominis simpliciter et absolute maximum est honor, ob quem assequendum homines, et vituperium vitandam, alia omnia postponunt. S. THOM. II, II, q. cxxxix, a. 1.

Coegit et perversitas mundi, et operatio inimici, honores ut videantur esse, et revera non sint, præterquam ministeria. S. CHRYS. *super c. Matth. II*.

Reddendus est honor ei, qui honore dignus est, et ita quidem, ut nec adulationem adhibeamus, neque illius benevolentiam captemus (metuendum est enim, ne quis per hæc in vilitatem et contemptum incidat, et assentationem quorundam scurrilem exerceat, semetipsum probro afficiat) sed cum decore conveniente id, quod deest, unicuique tribuendum est. S. ISIDOR. PELESIOT. I. IV, ep. xvi.

Qui de amore non venit honor, non honor, sed adulatio est. S. BERN. in *Cant.*

Virtus mater gloria: (et honoris) est; sola enim est, cui gloria jure debetur, et secure impenditur. Quæ autem est sine virtute gloria, profecto indebite venit, prope affectatur, periculose captatur. Idem.

Honor non solum majoribus, sed etiam æqualibus exhibendus est. S. GREG. III in *Mor.*

Honores sæpe mutant mores. Idem.

Honoris comes invidia est. S. AUG. de *Mirab. S. Scrip.* I. III.

Honorans alios seipsum honorat. S. CHRYS. *ep. ad Hebr.*

Quicumque desiderat primatum cælestem, sequatur humilitatem terrestrem; non enim qui major fuit in honore, ille major; sed qui justitior, ille major. Idem, hom. XXVII, *super Matth.*

DAMNUM. — Divitias et honores sollicitudo inseparabiliter comitatur, pompa mundi, et favor populi fumus est, et aura subito evanescentes, quæ, si plerumque placeant, penitudinem inducunt; et si delectant ad modicum productiore spatio displicebunt. PETRUS. RAVEN. in *quod. serm.*

Dejecisti eos, dum allevarentur; cum allevatur, deiecit, qui honoribus præficit, et moribus cadit. S. GREG. in *Registro*.

Honor malis exhibitus, in eorum commutatur ruinam. S. GREG. in *VII Mor.*

Dum mali præpositi suum contra veritatem honorem exigunt, ab omni rectitudine sequentium corda subvertunt. Idem, in *Moral.*

EX LIBELLO DE IMITATIONE CHRISTI.

Omnis gloria humana, omnis honor temporalis, omnis alitudo mundana, æterna gloriæ comparata, vanitas est et stultitia. L. III, c. xl, § 6.

Magnus honor, magna gloria tibi servire, et omnia propter te contemnere. L. III, c. x, § 3.

Brevis gloria, quæ ab hominibus datur et accipitur. Mundi gloriæ semper comitatur tristitia. Bonorum gloria in conscientia eorum, et non in ore hominum. L. II, c. vi, § 2.

EXEMPLA CATHOLICA.

HONOR SPRETUS. — Christus, cum post miraculum insigne patrum, populum cum Regem facere vellet, fugit, et honori se subdidit. JOAN. VI.

Moyses adhuc puer, cum in sinu Pharaonis a filia collocato, Rex diadema capiti illius imposuisset, indignabundus in terram abiit, et pedibus conculcavit. JOSEPH. I. II, *Antiq.* c. iii.

S. Malachias, ad onus archiepiscopale vocatus, omnibus modis recusavit. Anathema vero, nisi pareat, minitantibus, tandem acceptavit dicens: Ad mortem me ducitis, sed obedio spe martyrii. SCR. X, 6, in *Vit.*

S. Franciscus rogatus a domino Ostiensi, utrum suos Fratres ad Ecclesiasticas dignitates promovere vellet? respondit: *Minores* ideo vocati sunt Fratres mei, ne majores fieri præsumant. SCR. X, 3, in *Vit.*

S. Antonius frequentibus litteris a Constantino Imperatore vocatus, venire recusavit, dixitque: Si quidem ad Imperatorem venero, *Antonius* ero; sin minus, *Eremita Antonius*. NICEPH. I. VIII, c. xl.

Godefridus Bullionius, cum ob devictam Solymam Christiani Principes eum Regem proclamassent, aureamque coronam obtulissent, regni quidem titulum rogatus non abnuit; coronam vero capiti imponi noluit dicens: Indignum est, aureo illic diademate hominem uti, ubi Rex Regum Christus pro hominum salute spineam portavit. PLATINA, in *Vita Paschalis* II.

Carolus Magnus, cum Saxones aliquæ finitimi populi ad pedes ejus procciderent, seque obsequio ejus devoverent, illis in brachia acceptis dixit: Nolo vos mihi ser-

vire, sed Deo. MUNSTERI I. IX, *Cosmog.* c. XIX.

DAMNUM. — Eulogius Lapidica, cum invento thesauro viam sibi ad summos honores stravisset, adeo mutatus est, ut nec Deum nec homines amplius curaret; quosque in antiquam vililitatem dejectus, resipuit, honorumque vanitatem et inconstantiam agnovit. ENGELGR. *Dom. II, Pasch.* § 2.

(Vide *phara supra tit. Ambitio.*)

EXEMPLA DOMESTICA.

S. Franciscus Borgia, abdicato Ducatu, sæpius oblatum Cardinalatus honorem recusavit, dicens: Deum precatus sum, ut mihi vita prius abire liceat, quam titulus iterum honoribusque invitum onerari. *Vita* I. II, c. III.

Cardinalis Lugo a purpura sic abhorruit, ut ad primum illius nuntium in deliquium incidit, dumque iterum sibi restitutus est, in has voces eruperit: Miseremini mei, miseremini mei, quia manus Domini tetigit me! *ARLIG.* I. II, tom. XI, in *ep. dedic.*

Jacobus Laynes Episcopatum Majoricensis, Archiepiscopatum Pisanum ac Florentinum, Cardinalatum, et Pontificatum, pro quo duodecim jam vota habebat, recusavit. *Hist. Soc. p. II, l. VIII, n. 216.*

Episcopatum quoque Viennensem Petrus Carisius, Tergestinum Claudius Jaius, et alium Nicolaus Bobadilla recusavit. *Ibid.* I. III, n. 47.

(Vide *phara supra tit. Ambitio.*)

EXEMPLA PROFANA.

Themistocles, cum quemdam anxie Magistratum sollicitantem intellexeret, dixisse fertur: Si mihi duas ostenderetis vias, quarum una ad sepulchrum, altera ad tribunal duceret, multo libentius priorem ingrederer. *ELIAN.* I. VI.

Selenicus dicere solebat, paucis notum esse regnum ac magistratum, ac neminem, qui illud noverit, inventum iri, qui diadema regium humi projectum tolleret. *ERASMUS.*

Antigonus in Regem adscitus, priusquam diadema capiti imponeret: O nobile magis, aiebat, quam felicem pannum! quem si quis penitus cognoscat, quam multis sollicitudinibus, periculis, et miseriis sit refer-

tus, nec humi quidem jacentem tollere vellet. *BEIRLINCK,* tom. III, in *festo S. Jacobi.*

Alexander Severus Imperator creatus, cum vix annos sexdecim natus esset, ob virtutes eximias, titulis magnificis a Senatu decoratus, nunquam in animum induxit, ut se Magnam et Patriæ Patrem nominari pateretur; oportere enim, aiebat, ut res gestæ maturiorque ætas ea nomina parent. *JOSEPHUS LANG.* in *Polyanth.* V. cod.

Maximus Senior Cæsar nunquam ad oscula pedum quempiam admisit, dicens: Dii prohibeant, ut quisquam ingenuorum pedibus meis oscula figat. *JOSEPH. LANG.* V, cod.

SIMILITUDINES.

QUALITAS. — Sicut flores coronarii sine odore; sic se habent honores quæsit ex stemmate, ambitione opumque multitudine. *Ibid.*

Sicut umbra aliquando antecedit, aliquando sequitur, vel a tergo est; ita honor aliquando ante nos est, et visendum se præbet, aliquando in averso est, majorque, quo serior. *SENEC.* I. II, ep. 86.

UTILITAS. — Sicut tinctorum eum potissimum colorem panno inducunt, quo homines maxime delectari vident; ita juvenut ad ea potissimum rapitur, quibus populus honores defert. *ERASM.* I. II, *Apophth.*

DAMNUM. — Sicut colossi seu statuæ male librata sæpius evertuntur; ita nimis honor per invidiam multos avertit. *PLUTARCH.* in *Mor.*

Sicut deciduæ stellæ subito extinguuntur; ita qui repente ad summos honores evehuntur, cito præcipitari solent. *Ibid.*

Sicut coquinæ nidor nequaquam hominem nutrit, sed olfactum tantum provocat; ita nec honores quemquam beant, sed infamem dumtaxat prurium excitant. *THURVERUS.* *Apophth.* 465.

Sicut is, qui capite dolet, coronariis sertis gravatur magis, quam recreatur, eoque magis, quo majorem illa odorem spirant; ita neque honores vitæ commoditati quidquam conducunt, sed insigniter officiant. *Idem Apophth.* 454.

ASCETICA.

Tria sunt præcipue, quæ de honore Asceta

specialiter advertere debet. Primum est, ut sciat, unde vere quisque æstimandus, honorque illi tribuendus sit. Id quod Seneca sequentibus verbis docet: Nemo eorum, quos divitiæ, honoresque in altiori fastigio ponunt, magnus est. Quare ergo magnus videtur? Quia cum basi sua illum metiris. Minutus pumilio, licet in monte constiterit; colossus magnitudinem servabit, etiamsi in puteo constiterit. Hoc laboramus errore, quod neminem æstimamus ex æquo. Cum vero velis æstimationem hominis inire, et scire, qualis sit, nudum inspicie, ponat patrimonium, honores, et alia fortunæ mendacia, corpus suum exuat et animum intueri, qualis sit, quantusque, alieno, an suo magnus. *SENECA,* in *epist.*

Alterum est, ut vanitatem honoris mundani cognoscat; utpote qui ex alieno arbitrio dependet, et plerumque etiam indignissimis confertur. Unde merito eundem sapientissimi quique sanctissimique viri sunt avertati.

Tertium est, ut solum honorem, qui ex virtute oritur, utpote solidum et verum, sectetur. Unde jam olim Romani duo templa Virtuti et Honori sic edificarunt, ut nulli ingressus in Honoris templum pateret, qui non per Virtutis templum prius transisset. *PANORMI.* de *Gestis Alph.* I. I.

MISCELLANEA.

QUALITAS. — Cicero illum proprie honorem æstimari dicebat, quem quis neque majorum commendatione, neque per alterius commendationem assecutus sit. *CICERO,* in *Philipp.*

Non male cecinit Ovidius:

In pretio pretium nunc est, dat census honores;
Census amicitias, pauper ubique jacet.

OVID. I. III. *Fast.*

Et alius, honorum desiderium explicaturus:

An erit, qui velle recuset,
Os populi meruisse?

PERSEUS, Sat. I.

Urbanus VII, quoties amiculum e subtili tela induebat, alto pectore ingeminans dicebat: Quis crederet, sub tam levi sindone tantum ponderis delitescere? *ENGELGR.* *Dom. Polmar.* § 1.

UTILITAS. — Aristoteles dicebat: Qua in civitate non maximus virtuti honos tribuitur, in ea optimus civitatis status stabilis et

firmus esse nullatenus potest. *ARIST.* I. II. de *Repub.* c. 9.

Sed et Valerius Maximus virtutis uberimum alimentum honorem esse dixit. *VAL. MAX.* de *Inst. antiq.* I. II.

DAMNUM. — Veteres æquum nunc splendidiã servitutem, nunc argutos comedes, nunc falsam felicitatem; inter Christianos vero statum miserimum, salutis naufragium, curarum ac discriminis abyssum, libertatis vinculum vocabant. *BEIRLINCK,* text. III, in *festo S. Jacobi.*

AUCTORES.

Henricus Engelgrave, p. 2. *Lucis Evang.* in *Dom.* XVI, post *Pent.* § 11.

Laurentius Beirlinek, text. III, in *festo S. Jacobi.* Et in *Theatro Vitæ humane,* V. cod.

Ludovicus Granatensis, *Locis Communi-* bus, fol. 584.

Nicolaus Lancizius, *opusc.* VIII, I. II, præcipue, c. v, n. 51.

Josephus Langius, in *Polyanth.* V. cod.

HUMILITAS.

QUOAD ESSENTIAM.

DEFINITIO. — Variæ a variis definitur: S. Laurentius Justinianus ait, esse virtutem, qua homo verissima sui cognitione sibi ipsi vilescit. *Tr. de Humil.* c. 1, 22.

Juxta S. Thomam, est laudabilis sui ad ima dejectio. II, II, q. CII.

Secundum S. Basilium, est depositio vani sensus, qui ab elatione vanæ de se existimationis proficiscitur. Q. CXXVIII.

Juxta S. Augustinum, est ex intuitu propriæ conditionis, et sui Conditoris, voluntaria mentis inclinatio in suo imo, ordinabili ad suum Conditorem. *In c. II. ISALE.*

B. Maria Magdalena de Pazzis judicio, humilitas nihil aliud est, quam continua cognitio sui non esse, et continuum gaudium in omnibus illis rebus, quæ possunt inducere ad sui contemptum. *ROSIGN.* I. IV. de *disc.* c. XXXVIII.

Denique Sanctus Climacus narrat, cum religiosissimus hominum Senatus olim convenisset, et in eo, quid sit Humilitas? quasi-